Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26114
Copyright: Admont, Benediktinerstift

me. zelent uiros suos; non ibi seruent uanam gloriam qua solent
a maritis inpudicis laudari; quia inpudicitiam uirorum equo
animo ferunt. Non talem patientiam habeant christiane
mulieres; prorsus zelentur uiros suos non propter carnem suam; sed propter
animas illorum. Omnino ego moneo. ego moneo. ego iubeo; episcopus
iubet. christus in me iubet. nouit ille in cuius conspectu cor meum
ardet; ego iubeo. nolite uiros uestros permittere fornicari. inter
pellate contra eos ecclesiam; non dico iudices publicos non proconsu
lem. non uicarium. non comitem. non imperatorem; sed dominum patrem et ihesum
christum et spiritum sanctum. In ceteris omnibus ancille estote uirorum uestrorum;
subdite ad obsequium. Nulla sit in uobis peruersitas; nulla superbia.
non contumeliosa ceruix; non aliqua inobedientia. Sed ubi uentum
fuerit ad illud negotium. ubi uos apostolus probauit dicens. uxori uir
debitum reddat; non habet uxor potestatem corporis sui. sed uir. Quid
te extollis? Audi quod sequitur. Similiter et uir ~~non habet~~ non habet potes
tatem corporis sui sed mulier. Ubi ad hoc uentum fuerit clamate.
Aurum tuum uendet maritus ~~tuus~~ pro necessitate tua; ferto fe
mina. ferto ancilla. noli litigare. noli contra dicere; con
temptus auri tui. dilectio est uiri tui. Si uillam tuam pro neces
sitate sua que est et tua non enim potest esse eius que non sit tua.
si est caritas inter quam debet esse in uxore; ferto patienter et subito
tu offer; contempne omnia. pro amore uiri tui; sed castum opta.
pro castitate litiga patienter. pereat uilla tua; non anima il
lius te patiente pereat. Hoc dico uobis ut in hac causa zelent
uxores suas. quia faciunt. Noui quis ferat uxorem adulteram.